

Ivan Cankar:

AT PRIDEM FUIT HOC

Stellis innumeris fulgidus est polus,
De clivis placide flat zephyrus levis,
Hae desiderium sensile roridae
Exhalant tenebrae vagum.

Coelo somniat, en, luna silentio,
Et mundus tacitus somniat inferus,
Optem gratificantem hunc ego vesperum
Centum saecula somniem.

Ut mire facies hoc tua vespere
In lunae radiis sic placite nitet,
Ut dulcis, penetrans est mihi fabula
Aspectus magicus tuus.

Hic es tu prope me, bella venustaque,
Circa nos tacitus hic paradisi est...
Quam tum cor tremulum quamque beatum erat
Illo vespere, cor meum!...

At pridem fuit hoc, iam fuit hoc diu
Et numquam remeat, non remeabit hoc.
Nunc autumnus adest; nubila me super
Tempestat agitat furens.

Solus, sollicitus progredior via...
Num tantummodo sunt somnia mi vaga?
En istic Helene!... Sed memor haud mei est
Ac me praeterit anxium.

Ljubljana.

Vertit: *S. Kopriva.*